

MEMORIAM  
CELISSIMAE DOMVS HABS-  
BURGICAE

NONNVLII  
SCHOLAE NOVAE AD DRESDAM VRBIS  
DISCIPVLI

REPETERE INSTITVENT  
QVORVM

ORATIVNCVLAS

CRASTINA LVCE D. XVIII. SEPT. A. C.  
HORA II. A MERIDIE AVDITA

RECITANDAS

VT

DOMINI MAECENATES AMPLIS-  
SIMVS SENATVS PLVRIMVM REVEREN-  
DI VERBI DIVINI MINISTRI AC QVIVIS  
BONARVM ARTIVM FAVTORES

BENEVOLE AVDIANT

AB IPSIS

ENIXE ATQVE SVBMISSE PETIT

SIMVLQVE

DE SCHOLARVM ORIGINE

DVODEVICESIMVM DISSERIT

M. CHRISTOPHORVS KRETZSCHMARVS

SCHOLAE RECTOR.

DRESDAE LITERIS HARPETERIANIS.

#. ~~CAIXA~~. ~~SE~~.

~~74~~

Coll. diss. A  
189, 7

541. A. 189 (7)



M. M. O. R. I. A. M.  
C. E. S. S. I. M. A. E. D. O. N. A. S. H. A. B. S.  
B. A. R. G. I. C. A. E.  
S. O. H. O. R. I. A. E. N. O. V. A. E. A. D. D. R. E. S. D. A. M. V. R. B. I. S.  
D. I. S. C. I. P. U. L. I.  
R. E. P. U. B. L. I. C. E. I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S.  
G. O. V. E. R. N. I.  
O. R. A. T. I. O. N. I. S.

C. R. A. T. I. N. A. L. I. C. E. D. V. I. I. I. S. E. R. I. T. A. C.  
H. O. R. A. H. A. A. D. I. R. E. C. T. I. O. N. E. A. V. D. I. T. A.  
R. E. C. T. A. N. D. A. S.



D. O. M. I. N. I. T. A. T. A. R. G. E. N. A. T. A. M. A. T. I. S.  
S. E. R. V. A. T. I. O. N. I. S. E. T. V. I. N. I. M. I. T. A. T. I. O. N. I. S.  
D. I. S. C. I. P. U. L. I. M. I. N. I. S. T. R. U. C. T. I. O. N. I. S.  
H. O. R. A. V. I. T. A. T. I. O. N. I. S.  
R. E. C. T. A. N. D. A. S.  
S. E. R. V. A. T. I. O. N. I. S. E. T. V. I. N. I. M. I. T. A. T. I. O. N. I. S.  
D. I. S. C. I. P. U. L. I. M. I. N. I. S. T. R. U. C. T. I. O. N. I. S.  
H. O. R. A. V. I. T. A. T. I. O. N. I. S.  
R. E. C. T. A. N. D. A. S.  
D. E. S. C. H. O. L. A. R. I. A. M. O. R. I. G. I. N. A. E.  
I. N. D. R. E. C. T. I. O. N. E. A. D. D. R. E. S. D. A. M.  
I. N. C. H. R. I. S. T. O. P. H. O. R. Y. S. R. E. T. I. C. H. M. A. R. Y. S.  
S. E. P. T. O. L. A. E. R. E. C. T. O. R. I. S.

D. O. S. S. I. M. I. L. I. T. A. T. I. O. N. I. S.





§. 66.

**S**OCRATIS auditores duplicis extitisse generis (1), veterum de iis nos dubitare non sinunt relationes. Nam ubiuis locorum, qualibet data occasione, imprimis in foro, collectam ibi quotidie hominum multitudinem (2) morum culturam, ac prudentem humanamque viuendi rationem (3) edocebat. Nec tamen in hoc ipsius acquieuisse industriam instituto (4), compertum habemus, quia familiarium, praesertim iuuenum, foecundam habebat frequentiam (5), quam sibi indefinenter adhaerentem, tum domi, tum alibi (6) maiori studio artibus quibusuis, sigillatim vero morum ciuilisque prudentiae doctrinis imbuebat. Quare factum est, vt ex eius, communis quasi Graecorum praeceptoris (7), schola ingens eruditorum copia (8), XENOPHON (9) vtpote, CEBES (10) AESCHINES (11) alique plures, & prae ceteris omnium sectarum, quae posthaec in Graecia floruerunt, magistri statoresque (12), PLATO, ANTISTHENES, EVCLIDES, PHAEDO ac ARISTIPPVS prodierint.

(1) Quemadmodum in variis Italiae infimae oppidis collectam instruxisse multitudinem Pythagoram, eo animo, vt illa a rudi feroque viuendi genere abstracta ad morum vitaeque mansuetudinem abduceretur, supra Progr. XV. §. 58.



not. 2. p. 217. ostendimus: Ita eadem ingressum via vitae civium emendandae cupidissimum extitisse SOCRATEM, sequentia luculenter comprobabunt.

(2) In locis publicis, in ambulationibus, in Gymnasiis, maxime in foro versabatur SOCRATES, ubique doctrinarum semina spargens, ut quovis sibi loco praesentes redderet sapientiores. Testis est XENOPHON Ἀπομνημον. Libr. I. p. m. 765. his usus verbis: Ἀλλὰ μὴν ἐκείνός γε, αἰεὶ μὲν ἦν ἐν τῷ Φανερώ, πρῶτον γὰρ εἰς τὰς περιπάτους; καὶ τὰ γυμνάσια ἦεν. Καὶ πληθέσις ἀγορῶν, ἐκεῖ Φανερός ἦν. Καὶ τὸ λοιπὸν, αἰεὶ τῆς ἡμέρας ἦν, ὅπῃ πλείστοις μέλλοι συνέσεσθαι. Καὶ ἔλεγεν μὲν, ὡς τὸ πολὺ, τοῖς δὲ βελομένοις ἐξῆν ἀκῆεν. In conviviiis eum ab hoc non destitisse instituto, idem XENOPHON in *Symposio* p. m. 957. seqq. luculenter testatur. In prato quodam amoenissimo extra urbem in Ilissi fluvii ripa sub platano excellentis formae (per quam adeo iurasse dicitur teste SVIDA: Πλάτανον δὲ ὑπερβολὴν δεισιδαιμονίας ὠμυεν) eum saepius commoratum auditores convenisse, observat STANLEIVS P. III. c. IV. p. 113.

(3) Eximia ornatum prudentia SOCRATEM in tali civium coetu non de dicendi arte, siderum cursu, & quae sunt reliqua, tractasse, sed pietatis ac honestae prudentisque vitae rationem exposuisse, quilibet sibi, me non monente, persuadere potest: Et huc maxime mihi XENOPHONTIS verba l. c. p. 676. pertinere videntur: Ἀυτὸς δὲ (Σωκράτης) περὶ τῶν ἀνδρωπέων ἀν αἰεὶ διελέγετο, σιοπῶν, τί εὐσεβὲς, τί ἀσεβὲς. τί καλὸν, τί αἰσχρὸν. τί δίκαιον, τί ἀδίκον. τί σωφροσύνη, τί μανία, κ. τ. λ. LAERTIVS Libr. II. Segm. 21. p. m. 92. idem confirmat, scribens, SOCRATEM τὰ ἠθικὰ φιλοσοφεῖν ἀρχῆν, ἐπὶ τε τῶν ἐργαστηρίων καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ. Quare veteres commemorant, eum Philosophiam ex caelo in vrbes domosque deduxisse. CICERO *Tusculan. Disput.* Libro V. p. m. 262.: Socrates autem primus Philosophiam deuoavit e caelo, & in vrhibus collocavit, & in domos etiam introduxit, & coegit de vita & mori-



*moribus, rebusque bonis & malis quaerere.* conf. des LANDES *Histoire Philos.* T. II. c. XV. §. 6. p. 129. seq.

(4) SOCRATEM dicendi artem docuisse, Phauorino praeunte, confirmat LAERTIVS l. c. Segm. 20. p. 91. his verbis: *Πρῶτος μετὰ τῆ μαθητῆ Ἀισχίνε ῥητορεύειν ἐδίδαξε.* Astro-  
nomiam suis commendabat tradebatque, teste XENOPHONTE *Ἀπομνημον.* Libr. IV. p. m. 776. *Ἐκέλευσε δὲ καὶ ἀστρολογίας ἐμπείρους γίνεσθαι, κ. τ. λ.* Sic & alias scientias, Geometriam, Arithmeticam &c. eodem l. c. teste, auditoribus haud incognitas esse volebat. At otiosis speculationibus & ineptiis, quae cerebrum tantum, nec vitam iuvant, inimicus, ad eum finem illarum notitiam suis suadebat, quoad vita felicitasque hominum quoddam exinde caperet emolumentum. Idem XENOPHON l. c. p. 775. b. *Ἐδίδασκεν δὲ καὶ μέχρι ὅτε θεοὶ ἐμπειρον εἶναι ἐκάστῃ πράγματι τὸν ὀρθῶς πεπαιδευμένον.* *Ἀυτῆκα γεωμετρίαν μέχρι μὲν τῆς ἐφῆ δεῖν μανθάνειν, ἕως ἰκανὸς τις γένοιτο, εἶποτε δεήσειεν γῆν μέτρῳ ὀρθῶς, ἢ παραλαβεῖν, ἢ παραδῆναι, ἢ διανεῖμαι, ἢ ἔργον ἀποδείξαι.* Sic multis inanibus, quae omnium fere scientiarum circulos perturbabant, refectis, quasuis suos edocebat artes SOCRATES. conf. Progr. XVII. §. 64. not. 7. p. 262. seq. Quibus autem sic comparatis, quis SOCRATEM has, quas dixi artes, in civium conuentu explicasse, temere adfirmaret? At eundem familiaribus, quos curatius sapientiae studiis imbuere allaborabat, & harum artium arcana pandisse, ita tamen, ut morum doctrinis operae plurimum dicauerit, exinde colligo.

(5) Frequentem, imprimis iuuenum, quorum vegetum adhuc ad altiora indaganda erat ingenium, secum habebat concionem, ut iis viam, ad artium sacraria ducentem praeiret. Et inde inimicorum, SOCRATEM nefanda se *παιδεραστίας* abominatione pollueri, mentientium, ortae sunt cauillationes, quarum farraginem in eum ARISTOPHANES *ἐν Νεφέλαις* euomuit, quasque paucis SYIDAS sub voce *Σω-*



κράτης sic describit: Τῶν νέων δὲ τῶν πλείστων, ἐρωτικῶς πρὸς αὐτὸν χόντων, ἐφθονήθη. Καὶ πρῶτος Ἀριστοφάνης, τὰς Νεφέλας γράψας, ἐκωμώδησεν αὐτὸν ὡς διαφθείροντα τὸς νέους. At eum XENOPHON in Ἀπομνημον. libris passim masculine defendit. Libr. I. p. m. 676. b. ad hanc delatus calumniam, his utitur verbis: Θαυμαστὸν δὲ φαίνεται αἰ μοι, καὶ τὸ περὶ οὐδὲν καὶ τινος, ὡς Σωκράτης τὸς νέους διέφθειρεν ὅς - - - πρῶτον μὲν Ἀφροδισίων καὶ γαστρὸς, πάντων ἀνθρώπων ἐγκρατέστατος ἦν. κ. τ. λ.

(6) ARISTOPHANES ἐν Νεφέλ. Act. I. Scen. I. v. 93. seqq. SOCRATIS scholam Ψυχῶν σοφῶν φροντιστήριον compellat. v. 127. l.c. his utitur verbis: Ἀυτὸς βαδίζων εἰς τὸ φροντιστήριον. & v. 141. ἤνω μαθητῆς εἰς τὸ φροντιστήριον. κ. τ. λ. Inde factum est, vt scholae interdum φροντιστηρίων nomine veniant, quia in iis convenientes ταῖς φροντίσι seu meditationibus, de hac illaue doctrinarum parte institutis, operantur. Quam in rem conf. quae quondam Progr. II. de Scholae Synonymis §. 13. p. 10. seq. breuiter monuimus. Sed cum veterum nemo, a Comico dicto, mordaci ac mercede conducto si discesseris, de loco quodam doctis eiusmodi laboribus a SOCRATE destinato, mentionem faciat, sed vno quasi ore omnes, eum neque ex cathedra auditores, scamnis affixos, neque hora certa ex instituto conuocatos, sed quouis tempore, ac qualibet occasione data, siue cibum capientem, siue in agro versantem, siue amicorum conuentus frequentantem &c. erudiuisse contendunt, vt PLVTARCHI testimonio sequenti §. allegando istud confirmat CHARPENTIER c. X. p. 23.: Exinde ARISTOPHANEM aut ἐρωτευόμενον sic eius compellasse scholam; aut potius ceterum, quouis loco, vbicunque versatus fuerit, a SOCRATIS ore pendentem, quam locum, eruditus dicatum laboribus, hoc insigniuisse nomine, colligimus. conf. CL. BRVCKERVS in der Philos. Hist. P. I. libr. III. c. II. §. 4. not. z. p. 436. seq. & P. II. in Addit. ad P. I. p. 917. seq. Proinde SOCRATES suis, ubiuis locorum doctrinae cupidis esse discendum, prudenter inculcabat;



cabat; Id quod fructuose admodum fieri potest, si artificium meditandi, seu vnamquamque rem secundum naturam causasque ipsius considerandi, artium cultoribus rite patescit.

(7) Quam in rem CICERO Libr. II. *de Finibus Bonorum & Malorum*, statim sub init. p. m. 76. b. Oper. eum *philosophiae parentem* vocat, hisce verbis: *Quando Socrates, qui parens philosophiae iure dici potest, quidquam tale fecit?* IDEM *de Oratore* Libr. III. p. m. 127. b. his utitur verbis: *Cum omnes se philosophi Socraticos & dici vellent, & esse arbitrarentur.* Longam discipulorum Socratis seriem contexit SVIDAS sub voce *Σωκρατικός*. Conf. & LAERTIVS Libr. II. Segm. 47. p. 108. ad quem locum MENAGIVS p. 100. Idomeneum & Phanium peculiarem librum de Socraticis conscripisse, ex ipso LAERTIO observavit. v. etiam *des LANDES* l. c. c. XV. §. 9. p. 140. seq. & CHARPENTIER l. c. c. XVI. p. 50.

(8) Eos hic intelligo SOCRATIS discipulos, qui quidem sectarum conditores non extiterunt, attamen & eruditione & scriptis magnam sibi famam peperere. Tres ex illis nominatim indicare placuit, qui ceteris omnibus eruditionis gloria palmam praeripuerunt.

(9) Doctissimus iste Socraticus, de quo CICERO in *Oratore* p. m. 227. hoc tulit iudicium, *sermonem eius esse melle dulciorem*; Item l. c. p. m. 232. b. *eius voce Musas quasi locutas*, Athenis Gryllo parente natus, a Socrate, qui ex formae elegantia mentis pulchritudinem colligere solebat, ex via publica ad artium mercaturam fuit protractus. At postea magistri exemplum imitatus non solum fortitudine insignem se belli ducem praebuit, sed etiam eruditionis laude floruit, vtpote qui post varios belli labores feliciter exantlatos in praedio Scillunte a Lacedaemoniis donato, plurimos libellos, & rerum pondere, & stili elegantia praestantes, in quibus *Paedia Cyri Maioris* facile primum obtinet

tinet



tinet locum, litteris mandavit. *Musa* autem *Attica* haec (prouti XENOPHONTEM ob sermonis dulcedinem (γλυκύτητι τῆς ἐρμηνείας) appellatum fuisse testatur LAERTIVS Libr. II. Segm. 59. p. m. 114.) nonaginta annorum senex, vita defuncta, tantam fortitudinis, eruditionis, modestiae, humanitatis, continentiae omniumque virtutum laudem post se reliquit, qualem nemo veterum. Ceterum de XENOPHONTIS vita atque scriptis conf. praeter SVIDAM sub voce Ξενοφῶν & LAERTIVM Libr. II. Segm. 48. sqq. p. m. 109. sqq. LEVNCLAVIVS, qui vitam eius editioni suae Xenophontis Operum praemisit; TH. STANLEIVS p. 209. seqq. B. JO. ALB. FABRICIVS Biblioth. Graec. Libr. III, c. IV. p. 70. sqq. CL. BRVCKERVS T. I. Libr. III. c. 2. §. 11. sq. p. 481. sqq.

(10) CEBES Thebanus, pariter indefessus Socratis auditor, qui repetitis quaestionibus magistri mentem accurate percipere prae reliquis allaboravit, multorumque scriptorum auctor, vnam tantum ad nostram aetatem transmisit *Tabulam* seu Πινακκα, vitam humanam sub pictura ingeniose repraesentantem, quam autem nonnulli huic suppositam, alii rectius genuinam, sed variis interpolatam fuisse locis, crediderunt. Conf. de eo TH. STANLEIVS p. 229. B. FABRICIVS Libr. II. c. XXII. §. 34 sqq. CL. BRVCKERVS T. I. Libr. III. c. 2. §. 17. f. p. 498. sqq.

(11) AESCHINES Atheniensis, Charini aut Lyfaniae, factoris (τῆ ἀλλαντοποιῆ) filius, ab Aeschine, sequioris aetatis oratore, pariter Atheniensi, probe distinguendus, suo exemplo rerum omnium indigentes docuit, paupertatem *Musas* non respuere, eandemque cultoribus litterarum impedimento quidem, nec tamen penitus esse auocamento. Ipse enim patre egeno natus, Socratem accessit pauperrius, nec ab eo, quae ipsius erat humanitas, reiectus, tantos in studiorum curriculo fecit progressus, vt quibusvis animi ornamentis conspicuus, & in Sicilia apud Dionysium, qui ipsius Dialogos largiter est remuneratus, &  
Athenis

aec  
lu-  
VS  
ex,  
ae,  
em  
de  
AM  
sq.  
oni  
VS  
ec.  
III.

qui  
ere  
or,  
seu  
en-  
ius  
de-  
RI-  
C. I.

oris  
ra-  
m-  
lu-  
im-  
to.  
rri-  
us,  
us-  
ay-  
&  
nis



Athenis tum priuata iuuenum institutione, tum opera forenli, alimentum sibi parere potuerit. Ex variis eius scriptis tres tantum restant Dialogi, a JO. CLERICO editi. conf. de vita & scriptis eius LAERTIVS Libr. II. Segm. 60. sqq. p. 115. sqq. STANLEIVS p. 225. sqq. B. FABRICIVS Bibl. Græc. Libr. II. c. XXIII. §. 31. sqq. CL. BRVCKERVS, T. I. Libr. III. c. 2. §. 13. f. p. 490. sqq.

(12) Scholae Socraticae omnes, quae posteris temporibus in Graecia floruerunt philosophorum sectae originem debent. Nam etsi non SOCRATIS ipsius extiterunt discipuli omnes earum conditores, tamen discipulorum eius fuerunt discipuli, & sic non *ὀμέσως* quidem, attamen *ἐμμέσως*, vt aiunt, quaedam earum ad SOCRATEM sunt referendae. Sic a Platone Academici, & huius discipulo, Aristotele, Peripatetici; ab Antisthene Cynici, horumque sectatore Zenone Cittieo Stoici; ab Euclide, Megarici, & ab his Eristici; a Phaedone Eliaci seu Eretriaci ab Aristippo Cyrenaici descenderunt Philosophi. Conf. LAERTIVS in Prooemio Segm. 14. sqq. p. m. 10. sqq. At de horum Philosophorum scholis, scholasticisque institutis pro instituto nostro in posterum breuiter strictimque agemus: Id quod eo magis fieri poterit, quia nunc erutis Graecarum scholarum originibus, ipsum propositum nostrum nos breuiores esse iubebit.

§. 67.

SOCRATES, relicto scholae Ionicae Sophistisque recepto praecipendi more (1), suos ad meditando artificium (2) adducere studens, dialogisticam docendi methodum (3) sectabatur. In qua curatius tenenda & *ἐρωτική* (4), & inductione (5) utebatur, illa suam de hoc illoue argumento sententiam tegere, hac per ambages quaestionum ad assensum veritati praebendum auditores trahere assolitus, vt sic non nisi persuasi conuictique discederent.

Tt

(1) Ante

aec  
 λυ-  
 VS  
 ex,  
 ae,  
 em  
 de  
 AM  
 qg.  
 oni  
 VS  
 ec.  
 III.  
  
 qui  
 ere  
 or,  
 seu  
 en-  
 ius  
 de-  
 RI-  
 I.  
  
 ris  
 ra-  
 m-  
 tu-  
 im-  
 ito.  
 rri-  
 us,  
 us-  
 ay-  
 &  
 nis



(1) Ante SOCRATIS tempora perpetuo auditores docendi sermone obtinuisse methodum, adeo, ut praeceptor solus, ex cathedra occupata locutus, discipulos, in scamnis sedentes, per totius horae spatium hoc illudque argumentum edocuerit, veteres testantur. Ab hoc minus commodo artes profitendi more deflexisse SOCRATEM, alio, auditoribus longe utiliori, electo, PLVTARCHI in libro: *Ἐπρεσβυτέρῳ πολιτευτέον*, Oper. Moral. p. m. 484 sq. verba nos non sinunt dubitare, hoc comparata modo: *Σωκράτης γὰρ ἔτε βιάσθαι θεῖς, ἔτε εἰς θρόνον καθίσαι, ἔτε ὄραν διατριβῆς ἢ περιπάτου τοῖς γνωρίμοις τεταγμένην φυλάττων, ἀλλὰ καὶ παίζων, ἔτε τύχοι, καὶ συμπίνων - - - ἐφιλοσόφει.* Qua in re prudentissime ipsum egisse statuimus: Nam discipulorum aures, perpetuo defatigatae sermone, aut surdescunt, aut etiam, quantumuis attentae, audita quam facillime transmittunt, minimum eadem iudicii lance pro eo, ac par erat, non valent expendere. Quae omnia, sermonibus cum iisdem in utramque partem a praeceptore habitis, longe aliter sunt comparata.

(2) Litterarum cultoribus mirum in modum expedit, si ab eo statim temporis spatio, quo quaedam iudicii vires sese exferunt, ad meditando artificium adducantur. Sane ii, quibus tantum in verba magistri, caeca quasi obedientia constrictis, iurare incumbit, nunquam ipsi apertis oculis, quid sit verum falsumque, aut quid distent aera lupinis, ut Lyrici verbis utar, dignoscere discunt, sed cum magistro errante errare malunt, quam veritatis radios, ab errorum nubeculis purgatos perlustrare, aut ulterius in confirmandis eruendisque veritatibus progredi. Quantum seruitus haec erudita damni artium studioso inferat, perpendens SOCRATES, suos rationem iudicandique vim excolere iubebat, ac ipse iisdem commodissimam, qua hoc fieri posset, viam demonstrabat. Id quod PLATO in *Apollog. Socratis* T. I. Oper. p. 46. indicat, ubi SOCRATEM sic loquentem inducit: *ὡς ἐγὼ εἰ μόνον νῦν, ἀλλὰ καὶ δεῖ τοιοῦτος, ὅιος τῶν ἐμῶν εἶδενι ἀλλὰ πείθεσθαι, ἢ τῶ λόγῳ.* cf. CL.

er-  
ex  
en-  
im  
do  
di-  
Ei  
ba  
tis  
iae-  
dā  
ua  
u-  
le-  
fa-  
eo,  
io-  
ia-

eo  
x-  
ii,  
ia  
is,  
s,  
i-  
r-  
n-  
n  
r-  
n  
ic  
r-  
A  
ē  
ē  
ē



CL. FRIDER. MENZIVS in Programm. *Solemnibus creandorum Baccalaureorum d. XVII. Decembr. MDCCXL.* praemisso, in quo de methodo docendi Socratica, in Academiis retinenda, docte differit.

(3) Per dialogos itaque discipulos edocebat suos SOCRATES. De argumento videlicet hoc illoue ad differendum sumto, quaestiones formabat, vt suorum de illo mentem cognosceret, quaque percepta, alias ex eorum responsionibus formabat quaestiones, donec eosdem ad luculentam rerum, de quibus fermocinabantur, cognitionem, firmumque assensum, veritati praebendum, adduceret, vt nil contra regerere valerent. EPICLETVS apud *Arrianum* Libr. II. c. 12. de Socrate: Ἀυτὸν ἠνάγκαζε τὸν προσδιαλεγόμενον αὐτῷ μαρτυρεῖν, ἄλλε δὲ εἰδένος εἰδέτο μάρτυρος. Plurima huius methodi exstant exempla in quatuor *Ἀπομνημονευμάτων* Socraticorum libris, a XENOPHONTE nobis relictis. Ipse Plato SOCRATIS doctrinas, discipulis traditas, in Operibus suis eodem modo fusius consignauit, quanquam eruditi adhuc disputent, vtrum omnia, quae PLATO, ex Socratis ore profluxisse prae se ferat, vere Socratica sint appellanda. Ceterum commendauit admodum hanc Socraticam per colloquia disputandi methodum, eamque regulis & exemplis dedit exornatam JO. CLERICVS *Logic. P. IV. c. IX.* quod totum agit *de Socratica disceptandi methodo*, p. m. 217. sqq. Examinatoria sic dicta collegia, in Academiis adhuc recepta qualemcunque huius methodi imaginem nobis exhibent, quorum multiplicem vsum facile in dubium vocabit nemo. Ex quibus autem, cum vmbra tantum haec referant, quanta Socraticis institutis tribuendae sint laudes, oppido colligere possumus.

(4) Ironiam esse loquendi modum, quo aliud mente celatur, quam quod palam verbis innuitur, vel pueris ex Rhetorum praeceptis constare arbitror. QUINTILIANVS quidem Libr. VI. c. 3. *Institut. p. m. 550. sq.* Edit. Burmann. *ioci prope eam genus esse*, adfirmat; At quid, quaeso,

er-  
ex  
en-  
im  
do  
di-  
Ei  
ba  
ris  
io-  
ad  
ua  
iu-  
le-  
fa-  
zo,  
io-  
ia-  
  
eo  
x-  
ii,  
ia  
is,  
s,  
i-  
r-  
n-  
n  
r-  
n  
ic  
r-  
A  
i  
i  
i



ἔργων ἐβέβαιον etiam in rebus seriis vetat, prouti SOCRATES in discipulorum commodum agere est solitus? Melius proinde eam per *dissimulationem* quandam cum CICERONE locis paulo post allegandis, & ipso QUINTILIANO Libr. IX. c. 2. p. m. 795. describes. Sed quidquid hoc est, huius Ironiae auxilio se penitus rerum, quas excutiendas sibi sumserat, ignarum simulabat SOCRATES, auditores se primo intuitu non doctorem, sed discipulum quasi offerens. Quin adeo percepta eorum mente, eos non redarguebat, nec peruersos eorum de rebus conceptus false perstringebat, quia hoc modo pudore suffusi metuque fuissent percussi; sed potius eorum conatus, quamuis erroribus laborarent, laudibus efferebat, quasi omnia recte se haberent. At postea inductionis ope eos in viam sensim sensimque reducere, ac ad veram solidamque rerum cognitionem transferre studebat. CICERONIS potius, quam meis verbis hoc eius institutum explanabo, qui *Academic. Quaestion. Libr. II. p. m. 9. b.* sequentibus illud describit verbis: *Socrates autem, de se ipso detrahens, in disputatione plus tribuebat iis, quos volebat refellere, ita, cum aliud diceret, atque sentiret, libenter uti solitus est ea dissimulatione, quam Graeci ἔργων ἐβέβαιον vocant: quam ait etiam in Africano fuisse Fannius; idque propterea vitiosum in illo non putandum, quod idem fuerit in Socrate. IDEM de Oratore Libr. II. p. m. 99. ita: Urbana etiam dissimulatio est, cum alia dicuntur, ac sentias; non illo genere, de quo ante dixi, cum contraria dicas, ut Lamiae Crassus, sed cum toto genere orationis seuerè laudas, cum aliter sentias, ac loquere. Et paulo post: In hoc genere Fannius in annalibus suis Africanum hunc Æmilianum dicit fuisse; & eum Graeco verbo appellat ἔργων ἐβέβαιον: sed uti ferunt, qui melius haec norunt, Socratem opinor in hac ironia dissimulantiaque longe lepore & humanitate omnibus praestitisse. Genus est perelegans, & cum gravitate salsum, cumque oratoriis dictionibus, tum urbanis sermonibus accommodatum. Laudandam esse hanc SOCRATIS viam, ad auditorum animos de rerum notitia expiscandos accommo-*

ES  
lius  
RO-  
NO  
est,  
das  
res  
of-  
re-  
ille  
que  
er-  
ecte  
sen-  
um  
us,  
qui  
lud  
, in  
ita,  
? ea  
ait  
itio-  
ate.  
iam  
ge-  
nae  
um  
ere  
di-  
fe-  
iro-  
bus  
sal-  
bus  
am,  
ac-  
no-

commo-



commodatam, ego existimo, nec LVCIANI Περὶ τῆς οἰκίας  
T. II. Oper. p. m. 453. iudicium curo, qui more sibi re-  
cepto & hanc naso adunco suspendit, his vsus verbis:  
Καίτοι Σωκράτει μὲν ἀπέχεσθε πλάτανος εὐφυῆς, καὶ πῖος  
εὐθαλής, καὶ πηγὴ διαυγής, μικρὸν ἀπὸ τῆς Ἰλισσοῦ. Καν-  
τᾶνθα καθεζόμενος, Φαίδρος τε τῆς μυρσίνης ἵκαταιρνεύετο.  
κ. τ. λ.

- (5) Artis Logicae tyronibus constat, quale sit argumentandi ge-  
nus inductio. JO. CLERICI P. IV. c. VII. §. 9. p. 208.  
verbis illud describere placet: *Est argumentatio, in qua,  
enumeratis omnibus alicuius rei partibus, adeo ut aliquid  
de iis adfirmetur aut negetur, idem postea adfirmatur aut  
negatur de tota re.* Adde istud, inductionem etiam fieri  
posse, ex similitudine aliarum rerum, vbi si quis de simili-  
bus nobiscum consentiat, etiam de re, quae est in quae-  
stione, ad consensum nobis praebendum perducatur.  
Quod si hanc argumentationem per exemplum vocare  
tibi placet, non refragabimur. Sufficit nobis, veteres &  
hoc posterius *inductionis* nomine compellasse, vti ex loco  
CICERONIS, iamiam citando apparebit. SOCRATES  
itaque omnibus rei, quam extricabat, partibus cum di-  
scipulo, formatis quaestionibus, luculenter riteque venti-  
latis, ad totum rei ex concessis argumentabatur: Aut etiam  
a similitudine rei alterius, in qua discipulum habebat sibi  
consentientem, fundamentum petens, ipsum ad veritatis  
assensum, quod ad rem, de qua sermo erat in praesentia,  
pertrahebat. Posterioris modi luculentum nobis exhi-  
bit exemplum CICERO de *Inventione* Libr. I. p. m. 83.  
sq. sequentem scribens in modum: *Inductio est oratio,  
quae rebus non dubiis captat assensionem eius, quicum in-  
stituta est: quibus assensionibus facit, ut illi dubia quae-  
dam res propter similitudinem earum rerum, quibus assen-  
sit, probetur: Velut apud Socraticum Aeschinem demon-  
strat Socrates cum Xenophontis vxore, & cum ipso Xeno-  
phonte Aspasiam locutam, dic mibi, inquit, quaeso, Xeno-  
phontis vxor: Si vicina tua melius habeat aurum, quam tu  
habes?*

ES  
lius  
RO-  
NO  
est,  
das  
res  
of-  
re-  
ille  
que  
er-  
cte  
sen-  
um  
us,  
qui  
llud  
, in  
ita,  
? ea  
ait  
itio-  
ate.  
iam  
ge-  
nae  
um  
iere  
di-  
fe-  
ro-  
bus  
sal-  
bus  
am,  
ac-  
no-



*babes : utrum illius , an tuum malis ? Illius inquit : Quod si vestem , & ceterum ornatum muliebrem pretii maioris habeat , quam tu babes : tuumne , an illius malis ? Illius vero respondit . Age inquit si virum illa meliorem habeat , quam tu babes : utrumne tuum , an illius malis ? Hic mulier erubuit . Aspasia autem cum ipso Xenophonte sermonem instituit . Quaeso , inquit Xenophon , si vicinus tuus meliorem equum habeat , quam tuus est : tuumne equum malis , an illius ? Illius inquit . Quod si fundum meliorem habeat , quam tu babes : utrum tandem fundum habere malis ? Illum inquit , meliorem scilicet . Quod si uxorem meliorem habeat , quam tu babes , utrum illius malis ? atque Xenophon quoque ipse tacuit . Post Aspasia : Quoniam uterque vestrum inquit , id mihi solum non respondit , quod ego solum audire volueram : egomet dicam , quid uterque cogitet . Nam & tu mulier optimum virum malis habere , & tu Xenophon uxorem habere lectissimam maxime vis . Quare nisi hoc perfeceritis , ut neque vir melior , neque femina lectior in terris sit , profecto id semper , quod optimum putabitis esse , multo maxime requiretis : & tu , ut maritus sis , quam optimae mulieris ; & haec quam optimo viro nupta sit . Hic , cum rebus non dubiis esset assensum : factum est propter similitudinem , ut etiam illud , quod dubium videbatur , si quis separatim quaereret , id pro certo propter rationem rogandi concederetur . In sequentibus CICERO verbosius exponit quomodo haec inductione sit instituenda . Quem vero locum paulo longior propterea mihi allegare placuit , ut exinde pateret , quomodo haec methodus Socratica per inductionem fuerit comparata . At fusius rem persequi angustia loci & temporis mihi prohibet .*

## §. 68.

Nunc scopum , quem hoc quoque tempore habeo mihi praefixum , paucis exponere satago . In arenam videlicet de-

et de-  
 nuo    nuo



nuo producendi sunt nonnulli scholae, cui praesum, discipuli, suam, quam in dicendi arte bonisque litteris sibi pepererunt, facultatem, vtut tenuem, quasique titubantem, tentaturi. Argumentum, quod sibi in praesentia sumserunt, ex rerum gestarum monumentis est depromptum. CELSISSIMA nempe STIRPS HABSBURGICA, Inuictissimo Imperatore CAROLO VI. Gloriosissimae memoriae vno fere abhinc anno (id quod Europae totius, inprimis patriae nostrae dulcissimae Germanicae gentis incolas adhuc tenet obstupefactos ac perterritos, tenebitque) fatis defuncto, quod ad sexum digniorem attinet, infausto omine extincta, ex omnium temporum memoria inprimis est dignissima, cuius natales resque prudenter ac fortiter gestae nunquam non recolantur alta mente repositae. Id quod publice oratores iuuenes, crastina luce in medium prodituri, praestare, pietatemque DOMVI CELSISSIMAE debitam testari, pro virili constituerunt, sed telam tantum inchoaturi, quam alii propediem pertextent. Sequenti vero ordine in auditorum conspectu comparebunt:

I. FRIDERICVS *Gottlob* RICHTERVS, Friderico-sylvan. de *Rudolpho Habsburgico* verba faciet. Quo facto

II. JOANNES CAROLVS FRIDERICVS PAVLI, Neapolit. de *posteris Rudolphi Habsburgici, qui interrupta serie imperio Romano-Germanico vsque ad Albertum II. praefuerunt*, verba faciet. Quem ordine excipiens

III. CHRISTIANVS ERNESTVS SEYFERTVS, Zschopauiens. de *Imperatoribus tribus, qui ex domo Habsburgica seu Austriaca, haud interrupta serie ab Alberto II. vsque ad Carolum V. imperium administrarunt*, concinne strictimque dicet. Tandemque

IV. Jo-

Quod  
aioris  
Illius  
abeat,  
Hic  
e ser-  
s tuus  
quum  
liorem  
re ma-  
m me-  
atque  
ioniam  
quod  
terque  
habere,  
re vis.  
ne fa-  
d opti-  
tu, vt  
n opti-  
assen-  
illud,  
id  
In se-  
aec in-  
longio-  
ateret,  
m fue-  
& loci &  
mihi  
et de-  
nuo



IV. JOANNES GEORGIUS SCHWARZIVS, Oelsenens. de  
*Carolo V. potentissimo omnium ex domo Habsburgica*  
*Imperatore peroraturus, his solemnibus Colophona*  
 imponet.

Arduum est argumentum, quod iuvenes, in limine adhuc stan-  
 tes, pertractandum sibi sumserunt, cui rite explicando vires ipso-  
 rum adhuc impares esse videntur. Sed tamen & isti beneuola au-  
 ditorum frequentia, quam sibi promittunt, atque expetunt, ad  
 maiores in litteris progressus, pede alacri in posterum faciendos,  
 exstimulabuntur. Quorum precibus & nostras adiungimus,  
 quosuis litterarum Amplificatores, Fautoresque, inprimis, DO-  
 MINOS MÆCENATES, AMPLISSIMVM SENATVM, scholae  
 etiam huius Nutritium, ac PLVRIMVM REVERENDOS VERBI  
 DIVINI MINISTROS, submitte ac perofficiose rogantes, vt  
 suum, quem saepius experti sumus, fauorem crastino die no-  
 bis haud denegent, & nostris conatibus praesentes, quantum  
 bonis ipsi tribuant litteris, beneuole testentur. Nunquam non  
 proni sui in nos fauoris habebunt nos testes, cultores,  
 veneratores. Dabam e schola Nouae ad Dresdam Urbis  
 d. xviii. Septembr. A. O. R. MDCCXLI.



Coll. chiss. 17

189. 7